

Tibull 2,6,44–54

Parce, per immatura tuae precor ossa sororis:
Sic bene sub tenera parva quiescat humo. 30
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illi ad tumulum fugiam supplexque sedebo
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem: 35
Ilius ut verbis, sis mihi lenta, veto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Maestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolenta lacus. 40
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi:
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces:
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas 45
Occulto portans itque reditque sinu.
Saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
Adgnosco voces, haec negat esse domi,
Saepe, ubi nox mihi promissa est, languere pueram
Nuntiat aut aliquas extimuisse minas. 50
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis;
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vivas,
Moverit e votis pars quotacumque deos.

Properz 2,29A

Hesterna, mea lux, cum potus nocte vagarer,
nec me servorum duceret ulla manus,
obvia, nescio quot pueri, mihi turba, minuti,
venerat (hos vetuit me numerare timor);
quorum alii faculas, alii retinere sagittas, 5
pars etiam visa est vincla parare mihi.
sed nudi fuerant. quorum lascivior unus
'arripite hunc,' inquit, 'nam bene nostis eum.
hic erat, hunc mulier nobis irata locavit.'
dixit, et in collo iam mihi nodus erat. 10
hic alter iubet in medium propellere, at alter
'intereat, qui nos non putat esse deos!
haec te non meritum totas exspectat in horas:
at tu nescio quam quaeris, inepte, foris.
quaecum Sidoniae nocturna ligamina mitrae 15
solverit atque oculos moverit illa gravis,
afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
parcite iam, fratres, iam certos spondet amores;
et iam ad mandatam venimus ecce domum.' 20
atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu:
'i nunc et noctes disce manere domi.'